De

A. Persii Flacci elocutione

quaestiones

scripsit

Hugo Küster.

Pars I.

Wissenschaftliche Beilage zum Programm des Königlichen Progymnasiums in Löbau Wpr.

Löbau Westpr., 1894.

M. Hoffmann's Buchdruckerei.

1894. Progr.-No. 34.

Praefatio.

In A. Persii Flacci satiris expediendis atque investigandis sive quod ad meliorem textum efficiendum sive quod ad dictionem et sermonem accuratius definiendum attinet, proximis temporibus multum viros doctos esse versatos et operam navavisse, probant multi libelli et commentarii, qui usque ad hoc tempus in publicum prodierunt.*)

---

*) A. Persii Flacci satirae sex. Recensuit et annotationem criticam et exegeticam addidit Ernestus Guil. Weber. Lipsiae 1826.

C. Erasmus Krause, De satiris Auli Persii Flacci earumque interpretatione. Gottingae 1830.

C. F. Hermann Lectiones Persianae. Marburgi et Lipsiae 1842.

O. Jahn, Prolegomena ad Persium. Lipsiae 1843.

Des Aulus Persius Flaccus Satiren berichtigt und erklärt von Carl Friedr. Heinrich. Leipzig 1844.

J. Schlüter, Quaestiones Persianae. Monasterii 1857 et

De satirae Persianae natura et indole. Andernach 1886.

B. Erdmann, Observationes aliquot grammaticae in A. Persii Flacci satiras. Wittenberg 1866.

F. Schumacher, Quaestiones Persianae. Monasterii 1873.

A. Heckmanns Persiana. Monasterii 1875.

Th. Pabst, De A. Persii Flacci satirarum virtutibus et vitiis, Rathenoviae 1876.

C. Th. Burmeister, Observationes Persianae. Schwerin 1878.

Hans Liebl, Beiträge zu den Persius-Scholien. Straubing 1883.

H. Wilcke, Demonstratur brevi disputatione, quid elocutio Juvenalis a Persiana differat. Stendal 1869.

A Szelinski, De Persio Horatii imitatore. Hohenstein 1879.

Th. Werther, De Persio Horatii imitatore. Halle a. S. 1883.

H. Jattkowski, De sermone in A. Persii Flacci et D. Junii Juvenalis satiris figurato. Allenstein 1886.

J. Sorn, Die Sprache des Satirikers Persius. Laibach 1890.

Quamquam autem haud pauca, quae et ad rectam satirarum interpretationem et ad genus dicendi huius poetae accuratius cognoscendum conferre possint, facta esse repperi, tamen negari vix poterit, complures quaestiones ab illis viris doctis aut prorsus non aut certe parum ab omni parte consideratas atque explicatas esse. Atque Persianum genus dicendi mirandum in modum mixtum esse ex Stoicorum brevitate dicendi et ratione illa loquendi, quae aetate illa litterarum Romanarum, quae dicitur argentea, viguit, id jam pridem a viris doctis cognitum est. Nam a placido et aequabili dictionis flumine, quo Horatius excellens exstitit, Persium ratione temporum voluntateque traductum esse ad elaboratam concinnitatem et nimiam dicendi obscuritatem subtilitatemque sententiarum, ut saepe fiat difficilis ad intellegendum, qui neget, neminem esse arbitror. Satis enim constat, hunc satirarum scriptorem genere dicendi usum esse satis obscuro, tumido atque saepius dissoluto. Nam Persius brevitatem et obscuritatem saepe prae se fert et abruptis sententiis et suspiciosis indulget, in quibus, ut ait Seneca, plus intellegendum est quam audiendum.

Sed de propria huius poetae ratione dicendi praeter ea, quae in commentariis ad Persium scriptis dispersa et dissipata sunt et praeter aliquot observationes grammaticas et quaestiones Persianas, quas supra nominavi, quod sciam, copiosius disputatum non est.

Quae quidem res me permovit, ut, quantum in me est, huius poetae consuetudinem loquendi accuratius exquirerem et cum ratione dicendi aliorum poetarum compararem. Ac primum illud monendum est, Persii satiras omnibus fere vitiis, quibus illius aetatis dicendi genus corruptum sit, laborare. „Nam nonnulla — duodetriginta — verba apud eum scripta videmus, quae aliunde nobis nota non sunt, non pauca — quadraginta duo —, quibus ii scriptores, qui ante eius tempora fuerunt, non utuntur, plurimis verbis — numeravi c. ducenta quinquaginta exempla — Persius notionem aut insolentem aut aliorum scriptroum usu non comprobatam tribuit, multas ex sermone

quotidiano et vulgari petitas voces sine ulla dubitatione usurpavit. Praeterea nimio studio et amore nomina deminutiva in usum suum vertit — ea sunt viginti sex, atque plurimorum vis notioni verbi simplicis simillima est vel potius eadem —. Denique non modice ac sapienter, sed intemperanter iis subsidiis et artibus usus est, quibus ars rhetorica illis temporibus floruit."*)

Sed iam ea, quae de elocutione Persiana observavi, proferam. Atque ut ab initio constet, quomodo hasce de Persii elocutione quaestiones intellegi velim, de iis vocabulis, quae a Persio frequentari eiusque loquendi generis propria videri observabam, disputare in animo est.

In hoc opusculo conscribendo rem ita instituendam esse censui, ut agerem capite primo de verborum formis, usu significationeque, altero de substantivis, tertio de adjectivis, quarto generatim de pronominibus, quinto de particulis quibusdam, sexto eoque extremo de praepositionum usu.

In versibus Persii ascribendis secutus sum editionem Jahnii**) neque tamen facere potui, quin aliquoties recensionis Hermanni***) rationem haberem.

Caput I.

De verbis.

Priusquam ad notionem et usum verborum illustrandum accedam, primum illud monendum est, Persium magnopere delectari verbis inchoativis, ut 1, 109 frigesco, 2, 47 liquesco. 3, 8. 5, 21. 56 turgesco. 3, 13 vanesco. 3, 38 intabesco. 3, 116 fervesco. 4, 41 mansuesco. 5. 61 ingemisco. 5, 62 impallesco. 5, 145 intumesco. 6, 15. ditesco.

*) Th. Werther, De Persio Horatii imitatore. Halis 1883. p. 27.

**) A. Persii Flacci, D. Junii Juvenalis, Sulpiciae saturae recognovit Otto Jahn. Berolini 1868.

***) A. Persii Flacci satirarum liber. Ex recensione Caroli Friederici Hermanni. Lipsiae 1879.

Haud minus crebra adhibentur a Persio verba frequentativa, ut Prol. 14. 1, 88. 89. 4, 22 cantare. 1, 29. 52 dictare. 2, 21. 3, 113. 4, 23 temptare. 4, 15. 5, 175 iactare. 5, 129. 6, 5 agitare. 1, 105. 5, 183 natare. 1, 82 exsultare. 4, 1 tractare. 4, 40 labefactare. 5, 134 rogitare. 6, 8 receptare.

Denique commemorentur e magno numero eorum verborum, quae aut omnino non nisi apud Persium aut rarissime alicubi leguntur, potissima tantum:

1, 87 cevere cf. Juv. 2, 21. 9, 40.

1, 114 mejere. 1, 119 muttire. 2, 45 fortunare. 2, 52 incudere. 3, 17 pappare. 3, 18 lallare. 3, 71 elargiri. 3, 82 trutinari. 3, 104 lutare. 4, 36 runcare, marcere. 5, 12 cornicari. 5, 106 tinnire. 5, 134 rogitare. 6, 7 intepere. 6, 15 ditescere cf. Hor. Sat. II, 5, 10.

6, 52 exossare. 6, 72 singultire. 73 immejere. 6,79 depungere, alia.

Sed jam ea, quae de nonnullorum verborum significatione et usu Persiano observavi, proferam.

Magnis in deliciis dandi verbum habere Persium neminem fugere potest, cum saepe varioque in usu adhibitum sit.

Significatione propria et vulgari legitur in his versibus:

2, 46. 50. 3, 68. 5, 21. 118. 6. 35.

Accedente aliquo substantivo memorabiles oriuntur locutiones, ut:

6, 8: hibernatque meum mare, qua latus ingens
dant scopuli = late extenduntur.

5, 93: non praetoris erat stultis dare tenuia rerum
officia = stultos instruere de officiis

5,20: . . . . ut mihi nugis
pagina turgescat, dare pondus idonea fumo = onerare fumum, cf. Hor. Ep. I, 19,42: scripta pudet recitare et nugis addere pondus.

4, 45: da verba et decipe nervos = falle.

Ac „verba dare" idem significare, quod fallere decipere, notum est; quae vulgaris formula comicorum tribus locis apud Ciceronem legitur, quorum unus est in

libro de inv. 2,28, alter in or. Phil. 13, 33, tertius in epist. Att. 15, 16, a; etiam apud Corn. Nepot. semel legitur: Hann. 5, 2. cf. Hor. Sat. I, 3, 22:

Quidam ait „ignoras te? an ut ignotum dare nobis Verba putas?" et apud Persium 3, 19: Cui verba? scil. das.

Praeterea hoc verbum significans „huldvoll gewähren, gönnen" cum infinitivo coniunctum a Persio adhibetur:

5, 105 . . . . . Tibi recto vivere talo
ars dedit.

Quod verbum causativum a Tibullo I, 8, 56 et III, 4, 48, Propertio III, 15, 18 et IV, 10, 64, Vergilio Aen. 1, 319. 523. 6, 697. 10, 325, Ovidio a. a. 2, 28, Horatio Ep. I, 16, 61. Sat II, 3, 191. de arte poet. 323 posterioribusque poetis cum infinitivo construitur.*)

Hoc loco commemorandus est

2, 45: da fortunare Penates = fac ut fortunent.

Idem dare valet quod praebere in hoc:

1, 68: res grandis nostro dat Musa poetae.

Singulari denique significatione dandi verbum usurpatur

2, 71: Quin damus id superis, de magna quod dare lance
non possit . . . . propago,

ubi dare idem est ac libare = weihen.

Pauca dicenda sunt de verbo veniendi. Atque loci, quibus hoc verbum vulgari sive propria sive translata significatione legitur, hi sunt:

1, 81. 3, 16. 4, 5. 5, 67. 180.

3, 11: inque manus chartae nodosaque venit harundo.

Hoc loco inusitatus est numerus singularis verbi, cf.

5, 32: cum blandi comites totaque impune Subura
permisit sparsisse oculos iam candidus umbo.

Cum dativo alicuius rei coniunctum, ubi vulgo ponitur in praepositio, invenies:

6, 39: Ita fit, postquam sapere urbi

*) Cfr. Draeger, Hist. Syntax II p. 350 et
Senger, Der Infinitiv bei Catull, Tibull und Properz, Speier 1886 p. 4.

cum pipere et palmis venit.

Ea significatione, quae ad nascendi notionem fere accedit, veniendi verbum ponitur:

3, 64: venienti occurrite morbo.

Denique afferendus est

4, 48: si facis in penem quidquid tibi venit;

quod alibi non legitur; formatum est ut locutiones: quidquid in mentem venit, quidquid in buccam venit.

Jam supra dictum est, Persium plurimis verbis notionem aut insolentem aut aliorum scriptorum usu non comprobatam tribuisse. Cuius generis compluria verba afferre mihi liceat.

Ac primum quidem verbum pallendi, quod undecies in Persii satiris invenitur, quamquam intransitivum est saepe a Persio, ubi translata significatione adhibetur, ita usurpatur, ut accusativus vel tota sententia relativa ex eo suspensa sit, ut:

1, 124: Audaci quicumque adflate Cratino
iratum Eupolidem palles = acri studio pertractas.

3, 43: quam si sibi dicat et intus
palleat (= angatur) infelix, quod proxima nesciat uxor?

3, 85: Hoc est, quod palles.

5, 184: recutitaque sabbata palles.

Praeterea habes verbum pallendi:

3, 94. 97. 4, 47. 5, 15. 55. 80.

Verbum radendi, quod sexies apud Persium legitur, varia notione positum est.

Radere pro aliquem verbis perstringere habes

1, 107: Sed quid opus teneras mordaci radere vero
auriculas?

pro obiurgare, vituperare 5, 15: pallentes radere mores doctus, quod Juvenalis 10, 292 verbo „corripere“ significat.

pro imminuere, detrahere 3, 49: damnosa canicula quantum raderet; hoc loco Persius verbo radendi usus est de alea, quae paulatim pecuniam imminuit.

Rasus = summa arte limatus, expolitus 1, 85: crimina rasis librat in antithetis, quod Germanice exprimitur verbo „feilen."

Proprio sensu = abschaben, loslösen hoc verbum legitur 2, 66 et 3, 114.

Excutere = examinare, perscrutari 1, 49: nam belle hoc excute totum.

5, 22: excutienda damus praecordia.

6, 75: mercare atque excute sollers
omne latus mundi.

Morari = detinere voluptate, delectando morari, maxima afficere delectatione

1, 77: sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, cf. Hor. Epist. I, 13, 17 et de arte poet 321.

Nil moror = mir ist's gleich, quod 1, 111 legitur, ex usu cotidiano haustum est.

Plaudere = cum laetitia et plausu excipere 4, 31: farrata pueris plaudentibus olla.

Rodere semel dictum est de iis, qui tacitam mente cogitationem volvunt,

3, 81: murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt.

Emolere = emolendo consumere

6, 25: messe tenus propria vive et granaria, fas est,
emole;

Impellere sensu proprio = anschlagen an etwas, treffen legitur

2, 21: hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere temptas.

Usurpatum est de eo, qui aliquem sequitur heres

2, 13: . . . pupillumve utinam, quem proximus heres
impello, expungam = e medio tollam.

Pro opprimere = niederdrücken

5, 128: . . . . servitium acre
te nihil impellit.

Pulmonem rumpere = inflatum esse, superbire

3, 27: an deceat pulmonem rumpere ventis.

Vitam ducere = agere, vivere

5, 83: . . . . nisi ducere vitam
cui licet, ut voluit?

2, 38 Persius verbo „rapere“ utitur de vehementi multarum puellarum in unum studio atque amore, quod nos exprimere solemus „sich nach einem reiszen“ cf. Iuv. 10, 332.

5, 142 rapere positum est pro celeriter navigare.

Conari = loqui audere legimus

Prol. 9: quis . . . . picamque docuit nostra verba conari?

Incurvare = commovere sive frangere

1, 91: qui me volet incurvasse querella.

Genuinum (sil. dentem) frangere in aliquo pro irridere aliquem acerbis facetiis, quod nos vulgariter dicere solemus „gegen jem sehr bissig sein“ legimus

1, 115 . . . . secuit Lucilius urbem
te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis
cf. Hor. Sat. II, 1, 77.

2, 66 stringere dictum est pro secernere.

2, 44: Rem struere exoptas; struere usurpatum est pro augere.

4, 23 „in sese descendere“ in usu est pro „se ipsum cognoscere; eodem pertinet locutio Persiana 4, 52: tecum habita, i. e. te perscrutare.

Suspendere naso excusso aliquem = deridere aliquem versutum in modum habes

1, 118: callidus excusso populum suspendere naso, cf. Hor. Sat. I, 6, 5. II, 8, 64 et

1, 41: . . . . et nimis uncis
naribus indulges = illudis.

Ludere in c. acc. = illudere c. dat legimus

1, 127: non hic, qui in crepidas Graecorum ludere gestit.

Frangere pro debilitare usurpatum est

1, 18: patranti fractus ocello, item 5, 50 et 59, cf. Juv. 2, 111 fracta voce et 14, 161 fractis aetate.

Decoquere dictum est pro coquendo res imminuere vel vires absumere, ut Jahnius explicat,

5, 57: hic campo indulget, hunc alea decoquit

Infundere de insana cupiditate aliquid docendi legitur

1, 79: hos pueris monitus patres infundere lippos cum videas.

Claudere pro concludere i. e. concludendo efficere de versibus pangendis, legimus

1, 93: claudere sic versum didicit.

Frigescere de studio, quod paulatim remittitur, invenitur

1, 109: .... vide sis, ne maiorum tibi forte
limina frigescant.

Sapere reperitur pro similem esse

1, 11: cum sapimus patruos.

Sequi pro petere, studere positum est

Prol. 11: negatas artifex sequi voces, et

5, 14: verba togae sequeris.

Occurrere alicui rei pro praecavere ab aliqua re dictum est

1, 62: ..... posticae occurrite sannae! eodem pertinet locutio

3, 64: venienti occurrite morbo!

Pendere cum mero ablativo coniungitur his duobus locis:

3, 12: crassus calamo quod pendeat humor, et

3, 40: et magis auratis pendens laquearibus ensis.

Verbum subeundi quater apud Persium legitur:

2, 55: hinc illud subiit (= oritur), auro sacras quod ovato
perducis facies.

3, 100: sed tremor inter vina subit; absolute dictum est significatque = lente paulatimque capit.

3, 106: .... at illum
hesterni capite induto subiere Quirites", propria vulgarique notione ac constructione = susceperunt.

Inusitate autem usurpatum est hoc verbum quarto loco

4, 12: .... rectum discernis, ubi inter
curva subit = hinzukommt, nam ab optimis scriptoribus verbum subeundi cum accusativo coniungitur, sed legitur etiam cum praepositionibus: ad, in, sub c. acc et c. dat (= succedere alicui) constructum.

Simplex verbum pro composito, ut mos est argenteae latinitatis*) saepius reperitur:

*) Cf. Draeger, hist. Synt. I p. 116.

ponere = apponere 1, 53: Calidum scis ponere sumen; 3, 111: positum est algente catino durum olus. 6, 23: Nec rhombos ideo libertis ponere lautus; at 2, 2 legitur: apponit.

linquere = relinquere 1, 43: et cedro digna locutus linquere.

struere = exstruere, augere 2, 44; Rem struere exoptas.

Porro legimus

tendere = extendere 1, 65; pellere = expellere 1, 84: rapere = deripere 2, 38; ridere = arridere 3, 86; vertere, = avertere 5, 137; mutare = commutare 5, 54.

Jam disseram de quorundam verborum constructione Persiana, quae a consuetudine sermonis latini abhorret.

Ac primum quidem de laxiore quadam infinitivi structura exponere liceat, quam non admittit purioris sermonis ratio.

Post verba igitur videndi et faciendi pro participio semper, unico loco

3, 64: „poscentes videas“ excepto, infinitivum Persius posuit, veluti:

1, 44: Quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci.

1, 79: Hos pueris monitus patres infundere lippos
cum videas.

3, 90 . . . . postquam
tertia compositas vidit nox currere venas.

Infinitivus pro participio futuri passivi legitur

2, 23: Idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam
Jupiter?

Cf. Hor. Sat. I, 1, 52: Dum ex parvo nobis tantumdem haurire relinquas.

Infinitivus perfecti sequitur tempus praesens in sententia generali:

1, 41: . . . . . . an erit qui velle recuset
os populi meruisse

1, 132: scit risisse vafer.

4, 7: Fert animus calidae fecisse silentia turbae.

4, 17: Quae tibi summa boni est? uncta vixisse patella semper.

5, 24: ostendisse iuvat.

6, 77: . . . . . . nec sit praestantior alter
Cappadocas rigida pinguis plausisse catasta.

Huc referri possunt Prol. 3 et 1, 91.

Notum est, hac sermonis latini proprietate et priscos scriptores et poetas aureae aetatis saepe usos esse.

„Frequentissimus autem hic usus fuit Ovidio, Horatio, Silio Italico, qui quinquagies infinitivum perfecti significatione praesentis posuit et duodevicies infinitivis praesentis et perfecti in uno eodemque enuntiato usus est.“*)

Post tempus perfectum infinitivus perfecti ponitur:

5, 33: Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo.

Infinitivi et praesentis et perfecti miscentur:

2, 66: Haec baccam conchae rasisse et stringere venas iussit.

6, 3—6: Mire opifex . . . .
. . . . fidis intendisse latinae
mox iuvenes agitare iocos et pollice honesto
egregius lusisse senes.

6, 15—17: . . . . usque recusem
curvus ob id minui senio aut cenare sine uncto
et signum in vapida naso tetigisse lagoena.

Cf. Hor. Sat. I, 2, 28: Sunt qui nolint tetigisse nisi illas.

Saepe infinitivus addito pronomine demonstrativo aut possessivo nominis instar ponitur:

1, 9: nostrum istud vivere triste.

1. 27: scire tuum nihil est.

5, 83: velle suum cuique est.

6, 38: . . . . postquam sapere urbi
cum pipere et palmis venit, nostrum hoc maris expers.

---

*) A. Wagner, de syntaxi Propertiana, Passau 1888. p. 25.

1, 123: hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. Cf. Petron 52: meum enim intelligere nulla pecunia vendo.

Tempus perfectum loco aoristi graeci a Persio positum est (Heinr. p. 118):

2, 32: exemit puerum . . . .
. . . . et lustralibus ante salivis
expiat.
2, 43: adnuere his superos vetuere Jovemque morantur.
3, 101: excutit e manibus, dentes crepuere retecti.

Porro 3, 106 et 5, 61. Cf. Hor. Epist. I, 2, 48. 19, 48 Epist. II, 1, 201. Juv. 10, 7.

Magna socordia Persius in interrogationibus, quas vocant obliquas, modos ita variat, ut saepius indicativum pro coniunctivo, quem purior sermo efflagitat, ponere non dubitet, id quod prisci scriptores latini fecerunt, sicut:

3, 67 sqq: discite, o miseri, et causas cognoscite rerum;
quid sumus et quidnam victuri gignimur; . . . .
. . . . quid fas optare, quid asper
utile nummus habet; . . . .
quantum elargiri deceat;

In sententiis relativis quoque indicativus et coniunctivus mirandum in modum miscentur:

1, 127—130: „non hic, qui in erepidas Gracorum ludere gestit
sordidus, et lusco qui possit discere lusce
nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas
scit risisse vafer.“

De verbo „gestire“, quod Persius hoc loco tantum et cum infinitivo coniunctum usurpavit, errat Draeger, hist. Synt. II p. 299, cum contendit: Der stärkste Ausdruck des Verlangens ist gestire c. inf., in allen Zeitaltern sparsam verwendet. Bei Historikern kommt die Verbindung nicht vor, auch bei Dichtern ist sie selten: Hor. od. II, 16, 23. Ep. I, 20, 5. Ovid. met. 4, 130, aber nicht bei Vergil; nam recte J. Senger, Der Inf. bei Catull, Tibull u. Properz p. 10 dicit: Gestio c. inf. tritt häufiger auf als Draeger vermutet

bei Horaz allein schon lesen wir es 9mal. Tibull hat es II, 1, 72.

Persianus locus utrumque virum doctum effugit.

Post verbum recusandi*) licet affirmative vel negative usurpatum sit, semper infinitivus a Persio adhibetur:

1, 41: . . . . . . an erit qui velle recuset
os populi meruisse.

1, 48: sed recti finemque extremumque esse recuso
euge tuum et belle.

3, 18: poscis et iratus mammae lallare recusas?

5, 79: . . . . . . Marco spondente recusas
credere tu nummos?

6. 15: . . . . usque recusem
curvus ob id minui senio.

Post verba, quae consilium vel voluntatis quandam intentionem ad finem aliquem assequendum significant, saepius pro coniunctione finali infinitivus usurpatur ut:

2, 21: Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere temptas.

2, 48: At tamen hic extis et opimo vincere ferto
intendit.

5, 139: Si vivere cum Jove tendis.

5, 39: Et premitur ratione animus vincique laborat.

2, 17; — minimum est quod scire laboro.

De structura verbi laborandi rectissime iudicat vir doctus G. Landgraf in dissertatione „de Ciceronis elocutione in orationibus pro P. Quinctio et pro Sex. Roscio Amerino conspicua" p. 6, ubi disputat breviter de locis a Draeger, hist. Synt. II. p. 300 et a Krebs, Antib. p. 645 allatis; non commemorat, hoc verbum cum infinitivo constructum apud Horatium undecies inveniri.

Post verbum metuendi pro conjunctionibus finalibus „ut" vel „ne" infinitivus a Persio his duobus locis ponitur:

1, 47: Laudari metuam, et

4, 29: Seriolae veterem metuens deradere limum.

---

*) Krebs, Antibarbarus der lateinischen Sprache p. 1003.
Draeger, hist. Syntax II p. 323.
Senger, der Inf. bei Catull, Tibull u. Properz p. 13.

Exemplis. quae de hoc verbo Draeger, hist Synt. II p. 328 exhibet, adiungantur haec: Ovid. met. 1, 745 et Prop. I, 14, 19.

Nullum exemplum attulit e Persio, cuius poetae rarissime ille vir doctus mentionem fecisse mihi videtur. De infinitivo apud Persium a nominibus adjectivis apto in capite tertio mihi disserendum erit.

Priusquam ad alia pergam, monendum mihi est, in parte modo tractata mihi maximas utilitates praebuisse observationes iam commemoratas, quas scripserunt Erdmann et Burmeister.

Jam pauca videntur esse dicenda de iis verborum formis, quae saepius in initio versus ponuntur. Atque saepissime a Persio primo versus loco modum imperativum activae formae adhiberi haec exempla doceant:

Disce 3, 73. 5, 91. Aspice 1, 125. Pinge 1, 113.
Funde 2, 3. Dic agedum 2, 22. Da 2, 46.
Esto age 2, 42. Dicite 2, 69. Discite 3, 66.
Inspice 3, 88. Tange 3, 107. Exspecta 4, 19.
Respue 4, 51. Surge 5, 133. Tolle 5, 136.
Verte 5, 137: Percute 5, 165. Indulge 5, 151.
Vive 5, 153. Emole 6, 26. Frange 6, 32.

Unge 6, 69, Vende 6, 75. J, puer et strigiles defer, 5, 126. Quo cum loco conferendus est 4, 19: i nunc — suffla; hic enim deest „et.“ quod post eius modi imperativum poni solet, ut

Hor. Epist. II. 2, 76: J nunc et versus tecum meditare canoros.

Juv. 6, 306: J nunc et dubita.

At deest „et“ apud Hor. Epist. I, 6, 17. Verg. Aen. 7, 425 Tib. I, 1, 76.

Secundo versus loco:

Heus age responde 2, 17. Hoc, puta 4, 9. Tecum habita 4, 52. Hinc trahe 5, 17. Rem duplica 6, 78.

Quinto loco hexametri Persius infinitivum praesentis activi coniugationis tertiae valde adamavit, nam in 664

versibus Persii reperiuntur eiusmodi exempla quinquaginta tria.

Neque mihi silentio praetereundum esse videtur, Persium in satiris suis participiis praesentibus magnopere delectatum esse, nam invenies haec:

patrans, metuens (ter), terens, ridens, credens, labens, urens, iubens, fervens (bis), pendens, sudans, surgens, poscens, veniens, figens, meditans, crispans, sitiens (bis), exhalans, algens, praecedens, plaudens, mordens, moriens, marcens, ducens, pallens (bis), hortans, vertens, spondens, instans, adrodens, depellens, hians, rixans, portans, inflans, irrorans.

Hoc loco paulisper mihi esse subsistendum video, nam in Observ. Pers. p. 17 Burmeister dicit: „Denique accuratius intuentes miramur, quod a Persio numquam participium fut. act. usurpatum est (nam versus sat. 1, 100 et 101 „et raptum vitulo caput ablatura superbo Bassaris et Cyncem Maenas flexura corymbis" non Persii sunt), etsi illam formam valde amarunt poetae."

At non recte accurateque observavisse videtur vir doctus, nam legimus illam formam apud Persium his quatuor locis:

3, 45: Grandia si nollem morituri verba Catonis.
3, 67: Quid sumus, et quidnam victuri gignimur.
3, 93: Lenia loturo sibi Surrentina rogabit.
5, 7: Grande locuturi nebulas Helicone legunto.

Non mediocriter poeta nonnullorum verborum tertiae personae forma delectatus est et ita usus est, ut voce aliqua monosyllaba praecedente facillime versus initium paretur, ut

Quis leget 1, 2. Hoc juvat 1, 112. Hoc natat 1, 105. Quid juvat 2, 62. Non pudet 3, 31. Sed stupet 3, 32. Scire erat 3, 49. Nil calet 3, 108. Quod latet 5, 29. Cui licet 5, 84. Ars dedit 5, 105. Jus habet 5, 176. Cor iubet 6, 10. Ast vocat 6, 27. Ne liceat 5, 97. Ut teneat 5, 99. Men' moveat 1, 88.

Alio versus loco legitur:

iuvat 5, 24. 62. licet 4, 39. 5, 84. 87. liceat 5, 89. deceat 3, 27. 71. 114.

Sub finem huius capitis liceat mihi pauca de conjugatione verbi Persiana dicere.

Antiquae formae raro apud Persium inveniuntur:

1, 28: dicier pro dici. 3, 50 fallier pro falli cfr. Hor. Od. IV, 11, 8. Sat. I, 2, 35. 78. 104. Sat. II, 8, 67. Epist. II, 1, 94. 2, 148.

5, 26: ausim pro ausus sim; 1, 112 faxit pro fecerit. „Hic enim iocose legem imitatur ideoque forma verbi obsoleta „faxit“ aptissime utitur.“ (A. Heckmanns, Persiana p. 12.)

Contra consuetudinem Persius tempus perfectum formavit 5, 90 „vetavit“, at 2, 43: vetuere et 5, 99: vetitos.

Recte monuit Burmeister p. 17: „Saepe Persius pro usitatis formis formas non adeo usitatas posuit. Sic ultima persona temporis perf. act. semel tantum (3, 39: gemuerunt) syllaba „erunt“ terminatur, aliis locis semper syllaba „ere“, ut 1, 36 assensere. 2, 43 vetuere. 3, 101 crepuere. 3, 106 subiere. 5, 61 ingemuere. 5, 180 venere. 181 vomuere. 187 incussere.“ Sed cum pergit: „Secunda persona generis passivi semper excidit in syllabam „re“, non „ris“, ut 3, 21 contemnere. 4, 8 loquere. 5, 71 sectabere. 123 moveare. 169 obiurgabere,“ iterum vir doctus erravit, nam invenimus in Persii satiris eius modi formas in „ris“ exeuntes: 1, 56 et 5, 169 nugaris. 3, 61 sequeris. 5, 12 cornicaris. 154 scinderis. 155 sequeris.

Caput II.

De substantivis.

In tractandis quibusdam substantivis a Persio amatis aptissime a „moris“ voce ordiemur, quam saepe deprehendi non miramur in hoc poeta satirarum, qui „homo tristis et severus, stoicae disciplinae plane deditus, propter atrocitatem temporum summa indignatione summoque dolore affectus severissime perversos et ab integritate remotos mores reprehendendo et castigando corrigere cogitabat et ita exagitabat, ut rebus ridiculis et iocosis raro admissis ubique fere magistri severitate, philosophi ostentatione offendamur.“*)

Sed priusquam varios nonnullorum substantivorum usus perlustrem, pauca de formis, quibus poeta usus est, dicam.

Deminutivis igitur formis, quibus maxime poetas satirarum delectatos esse constat, usus est his:

Auricula 1, 22. 23. 59. 108. 121. 2, 30. patella 3, 26. 4, 17. labellum 2, 32. 3, 82. popellus 4, 15. 6. 50. testiculus 1, 104. ocellus 1, 18. aqualiculus 1, 57. elegidion 1, 51. libellus 1, 120. canicula 3, 5. 49. lapillus 2, 1. pupillus 2, 12. flagellum 3, 51. articulus 5, 59. plebecula 4, 6. cuticula 4, 18. tabella 5, 81. pellicula 5, 116. maxilla 4, 37. seriola 4, 29. tesserula 5, 74.

Nomina verbalia in „tor“ exeuntia posuit haec:

Largitor Prol. 10. dictator 1, 74. lector 1, 126. lictor 1, 75. cultor 5, 63. tutor 3, 96. arator 5, 102. praetor 5, 114. nugator 5, 127. finitor 6, 80.

Duo feminina in „trix“: nutrix 2, 39 et cultrix 3, 26,

Addendum est vocabulum, quod in „fer“ exit: Lucifer 5, 103.

Substantiva, quae aut apud Persium tantum aut perraro apud alios poetas inveniuntur, commemorentur haec:

Cachinno, glutto, palpo, sardonyx (fem. cf, Juv. 7, 144; mascl. Juv. 6, 382. 13, 139), caprificus = gloriae cupi-

*) A. Szelinski, de Persio Horatii imitatore, Hohenstein 1879, p. 2.

ditas, cirrati, aqualiculus, occiput, sanna 1, 62. 5, 91 cf. Juv. 6, 306; rubrica 1, 66. 5, 90. 135; fertum, dentale scl. lignum = Pflugschar, sartago, trossulus, oletum, nonaria, tuccetum, fidelia 3, 22. 73. 5, 183; sepia = Tinte, popellus 4, 15. 6, 50 cf. Hor. Epist. I, 7, 65; sorbitio 4, 2, seriola 4, 29, maxilla, gurgulio, filix, vibix, iunix, scloppus (Jahn) s. stloppus (Herm.), canthus, tesserula, artocreas, popa, catasta, feniseca, cuticula, 4, 18. cf. Juv. 11, 203.

Sed jam veniamus ad propositum.

Ac primum quidem de „moris" nomine videamus, in quo primum illud monendum est, et singularem et pluralem numerum in usu esse.

Singularis igitur numerus vulgari usitataque significatione (= Sitte, Brauch) apud Persium in hoc versu invenitur:

5, 1: Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
cf. Hor. Sat. I, 2, 86: Regibus hic mos est.*)

Hinc facilis est transitus ad eam vocis notionem, cuius duo deprehendimus apud Persium exempla; saepe enim „mos" ita ponitur, ut significetur modus vel ratio (= Art und Weise), ut

1, 19: Hic neque more probo videas nec voce serena
ingentes trepidare Titos, et

3, 31: Non pudet ad morem discinti vivere Nattae?

Pluralem numerum saepius Persius usurpat peculiari proprioque sensu et semper mala notione (mores = verderbte Sitten vel potius Sittenverderbnis); quo clarius autem ac dilucidius pravi et perditi mores intelligantur, huic vocabulo duobus locis exceptis,* de quibus infra disseram, adjectivum malae notionis addere solet.

Legimus enim

3, 52: Haud tibi inexpertum curvos (= pravos) deprendere mores.

5, 15: . . . . pallentes (= blass machend i. e. corruptos) radere mores
doctus.

*) Draeger, Hist. Synt. II. p. 344.

5, 38: . . . . Tunc fallere sollers
apposita intortos (= non rectos, perditos) extendit (= corrigit) regula mores.

2, 62: Quid iuvat, hos templis nostros (= huius saeculi i. e. perditos ac corruptos) immittere mores?

Omissum est adjectivum

1, 26: O mores! quod proverbii locum obtinet et

1, 67: Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum dicere.

Quin his quoque duobus locis Persius de pravis et corruptis moribus cogitaverit, nemini dubium esse potest; cf. 4, 35.

Sequitur, ut de „rei" nomine quaeram, quod a Persio saepissime — nam „res" invenitur in satiris duodevicies — et in vario usu adhibitum est.

Ac primum quidem numerus singularis huius vocis notione vulgari et propria de iis, quae quis possidet (= Hab und Gut, Vermögen), apud Persium exstat in versibus his:

2, 44: Rem struere exoptas.

5, 164: . . . . An rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscoenum frangam?

Scholiastae interpretatio huius loci est: „Hereditatem a patre dimissam diminuam?"

6, 28: ...... remque omnem, surdaque vota
condidit Jonio.

6, 34: Negliget iratus, quod rem curtaveris.

6, 78: Rem duplica.

Saepe singularem „res", inprimis apud rerum scriptores pro „respublica" poni solere, notum est, sicut

4, 1: Rem populi i. e. rempublicam tractas?, graece: *τὰ πολιτικὰ πράττεις;*

Idem vocabulum accedente adjectivo „humana" etiam significare „homines", apparet ex hoc exemplo:

3, 72: . . . . et humana qua parte locatus es in re;

quem locum nos vertimus: „und wo dein Platz unter den Menschen ist."

Eandem significationem habet numerus pluralis huius vocis in hoc:

1, 111: Euge! omnes, omnes bene mirae eritis res (= mirabiles homines).

Huc quoque referendi sunt

1, 1: O quantum est in rebus inane! i. e. in iis, quae homines agunt — nos dicimus: im Thun und Treiben —, quem versum de Lucilii primo libro transtulisse poetam constat.

4, 4: Scilicet ingenium et rerum prudentia (= Weltkenntnis) velox
ante pilos venit.

5, 93: Non praetoris erat stultis dare tenuia rerum
officia (= Lebenspflichten).

Similem in modum Persium hoc vocabulo pro mundo usum esse docet

5, 104: . . . . exclamet Melicerta perisse
frontem de rebus i. e. pudorem e mundo evanuisse.

Atque principali significatione (res = Dinge) legitur haec vox 3, 66. 5, 52. 124.

Usitata et tritissima notione invenimus hanc vocem 6, 48: ob res egregie gestas (= herrliche Thaten.)

Neque minus raro „res" pro materia vel argumento ponuntur, ut

1, 68: res grandes (= grossartigen Stoff) nostro dat Musa poetae.

Restat ut hanc vocis constructionem solitam afferam:

3, 15: hucine rerum venimus? (= ad has res), quod nos vertimus: bis dahin sind wir gekommen?

Jam pauca verba faciam de „voti" nomine.

Ac primum quidem votum proprio ac vulgari sensu pro eo, quod diis vovetur (= Gelübde), semel tantum a Persio usurpatum est

6, 28: . . . . remque omnem, surdaque vota
condidit Jonio (= vota, quae non audita sunt).

Votum pro precibus saepius poni solere docent haec exempla:

2, 7: Haud cuivis promptum est . . . .
. . . . aperto vivere voto.

2, 35: Tunc manibus quatit et spem macram supplice voto.

2, 39: Ast ego nutrici non mando vota;

cf. Schol.: Ast ego nolo a diis talia mihi impetrare nutricem.

Neque minus frequentior is usus est, cum votum ita usurpatur, ut optationem, voluntatem cupiditatemque significet, velut

5, 109: es modicus voti?

5, 53: nec voto vivitur uno.

3, 49: scire erat in voto; cf. Hor. Sat. II, 6, 1: Hoc erat in votis.

De hoc vocabulo Krebs, Antibarbarus p. 1215 dicit: „Votum ist in der Bedeutung „Wunsch, Willen, Verlangen, doch nicht so selten, als der Antibarbarus bisher lehrte. Es wird bei den Nachklassikern oft in diesem Sinne gefunden."

Atque reprehendenda est Persii audacia in usu quorundam substantivorum, quibus saepe alia significatione utitur atque ceteri poetae iis uti solent.

Nonnulla exempla commemorentur.

1, 22: auriculis alienis colligis escas?

Hic „esca, i. e. cibus ad alliciendos pisces aptus, dicitur universe de illecebris quibuslibet.

1, 40 sq: . . . . „Rides ait, et nimis uncis
naribus indulges.

Vocabulum „nares" hoc loco positum est pro petulantia (= Schadenfreude), quae in naribus potissimum, quippe corrugatis, videtur.

1, 103: Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni
viveret in nobis?

„Testiculi paterni" dictum est pro „sanguinis paterni." Cf. 2, 27. 5, 38. 65. 6, 24.*)

De Persiano usu numeri singularis nominum collectivorum cf. Sorn, Die Sprache des Persius p. 3.

---

*) Th. Pabst, De A. Persii Flacci satirarum virtutibus et vitiis, p. 18.

Cum minime ignoremus, numerum pluralem vocabulorum, quae membra corporis unius personae significant, animalium, fructuum, plantarum etc. non solum a poetis, sed etiam a prosae orationis scriptoribus, qui aurea, quam dicimus, aetate floruerant, adhibitum esse, eandem consuetudinem etiam in Persii satiris nobis occurrere multis exemplis in lucem prolatis supervacaneum arbitror demonstrare.

At 2, 33 et 6, 24 invenimus numerum pluralem nominis „saliva", cuius idcirco mentionem facio, quod Draeger, hist. Synt. I. p. 5. hoc substantivum solum apud Lucretiam et Columellam in plurali numero positum esse falso adnotavit, nam non modo Persius duobus locis, sed etiam Propertius V, 7, 37 numerum pluralem huius substantivi usurpavit.

De Persii declinatione nominum pauca sunt dicenda.

Semel invenimus genetivum singularis primae declinationis in „ai" cadentem 6, 9, qui locus depromptus est ex Ennii carminibus, cf. Burmeister p. 17 et Heinrich p. 164.

Idem casus tertiae declinationis semel in syllabam „i" pro „is" exit 4, 3: Pericli, cf Madvig, Cic. de fin. I, 5 14.

Accusativus pluralis huius declinationis aliquoties terminationem graecam „as" accepit: Prol. 4. 13. 1, 34. 61. 2, 52. 6, 77.

Adverbiis nonnullis pro nominibus substantivis Persius utitur ideoque pronomen vel adjectivum ad ea adjungit: 1, 49: Euge tuum et belle. 84: tepidum hoc decenter? 3, 1: clarum mane. 5, 68: Jam cras hesternum — aliud cras.

Pro nominativo positus est vocativus 1, 123. 3, 28. 29. 5, 124 et pro vocativo nominativus 1, 61. cf. Hor. de art. poet. 291.

Duo substantiva Persius saepe coniunxit, poetarum et argenteae aetatis rationem secutus, etsi adjectivum substantivo addere debuit, ut Prol. 11: venter artifex. 13: corvos poetas et poetridas picas. 1, 69: heroas sensus. 5, 40: artificem vultum. 6, 4. 5. 6. 74.

Accusativus graecus, qui dicitur, quem apud priscos scriptores Romanos raro esse usurpatum, postea autem praecipue e Vergilii carminibus in poetarum aequalium et posteriorum sermonem irrepsisse constat, legitur in Persii satiris 5, 140; pellem succinctus et 86: aurem lotus.